

**THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LATIN READING EXAMINATION**

Translate the following passage accurately into idiomatic English. You will have two hours to complete the examination. The use of a dictionary is permitted.

Facitis autem, iuvenes mei, rem necessariam et utilem quod non contenti exemplis saeculi vestri prioris quoque vultis cognoscere. Primum quia, quo plura exempla inspecta sunt, plus in eloquentiam proficitur. Non est unus, quamvis praecipuus sit, imitandus, quia numquam par fit imitator auctori. Haec rei natura est: semper citra veritatem est similitudo. Deinde ut possitis aestimare in quantum cotidie ingenia decrescant et nescio qua iniquitate naturae eloquentia se retro tulerit: quidquid Romana facundia habet quod insolenti Graeciae aut opponat aut praeferat circa Ciceronem effloruit; omnia ingenia quae lucem studiis nostris attulerunt tunc nata sunt. In deterius deinde cotidie data res est, sive luxu temporum— nihil enim tam mortiferum ingeniis quam luxuria est—sive, cum pretium pulcherrimae rei cecidisset, translatum est omne certamen ad turpia multo honore quaestuque vigentia, sive fato quodam, cuius maligna perpetuaque in rebus omnibus lex est ut ad summum perducta rursus ad infimum, velocius quidem quam ascenderant, relabantur. Torpent ecce ingenia desidiosae iuventutis nec in unius honestae rei labore vigilatur; somnus languorque ac somno et languore turpior malarum rerum industria invasit animos: cantandi saltandique obscena studia effeminatos tenent, capillum frangere et ad muliebres blanditias extenuare vocem, mollitia corporis certare cum feminis et inmundissimis se excolere munditiis nostrorum adolescentium specimen est. Quis aequalium vestrorum quid dicam satis ingeniosus, satis studiosus, immo quis satis vir est? Emolliti enervesque quod nati sunt in vita manent, expugnatores alienae pudicitiae, negligentes suae. In hos ne dii tantum mali ut cadat eloquentia: quam non mirarer nisi animos in quos se conferret eligeret. Erratis, optimi iuvenes, nisi illam vocem non M. Catonis sed oraculi creditis. Quid enim est oraculum? nempe voluntas divina hominis ore enuntiata; et quem tandem antistitem sanctiorem sibi invenire divinitas potuit quam M. Catonem per quem humano generi non praeciperet sed convicium faceret? Ille ergo vir quid ait? ‘Orator est, Marce fili, vir bonus dicendi peritus.’ Ite nunc et in istis vulsis atque expolitis et nusquam nisi in libidine viris quaerite oratores. Merito talia habent exempla qualia ingenia. Quis est qui memoriae studeat? quis est qui non dico magnis virtutibus sed suis placeat? Sententias a disertissimis viris iactas facile in tanta hominum desidia pro suis dicunt, et sic sacerrimam eloquentiam, quam praestare non possunt, violare non desinunt.